

oculos ad diuersa circumflectere, sed instar pudicæ virginis in terram habere defixos: in hac enim sub pedibus longè plus virium opumq; hoc in thesauro naturæ, quàm India, Ægyptus, Barbaria, Græciaq; ferant, inueniet.

De speciebus vitrioli, & examinibus eius. CAP. XV.

TAM variæ sunt vitrioli species, quàm fodinæ de quibus eruitur, aut fontes. Examina pariter diuersa fiunt eius maioris vel minoris præstantiæ. Primum hoc esto, si laminam ferream præter ignem in cupri colorem tingat, quo altiùs, hoc iudicatur melius; verùm istud est leuissimum inter alia. Secundum, vbi crudum administratum per os intrò assumptum vehementer pellat præ alijs vermes intestinorū, quò vehementiùs, eò melius in medicina. Tertium est, quum ferrum in cuprum transmutat, quantò perfectiùs accitiùs, tantò præstantiùs habendū in vtraq; facultate: plurimùm .n. affinitatis est inter hæc duo metalla. Nec admirāda res, cūm p̄ aquam boracis ex plumbo pariter fiat argen-